

*habet fallacias, vel sic uti nos scripsimus: omitti autem in primo membro, quae vox in posterioribus sermonis membris omnibus constanter repetatur, id et insolens est et inficetum.* Ergo qua ratione versus 30 initium ex eiusdem versus interpretamento redipisci nobis visi sumus, eadem vel simili ratione huic in quo versamur initium servatum esse in inscriptione additamento illo *Domi habet animum e. q. s. disputamus.*

‘Vnum restat, nondum expeditum nostra sententia. Vix enim concedi poterit scriptum esse a Plauto *condimenta ad omnes moles* (vel *omnis molis* potius) *maleficas*, quod e Palatinorum memoria a se erutum Scioppius commendabat, probare recentiores solent. Nam *omnis molis malificas* in *B* est a prima manu, in *omnis molis malificas* mutatum a secunda, *omnis molis milificas* in *CD*. Nunquam autem in tanta consimilium notionum frequentia *moles* Plautus pro *machinis* dixit. Quod sentiens ut videtur, simul autem masculini generis vestigiis inhaerens Camerarius *omnes mores maleficos* edidit. Et *hominum mores maleficos* dixit sane poeta Cas. IV 2, 4, sed ratione a Palaestrionis sermone alienissima. Cui id potius dicendum est, quas ad res ipsi *mores muliebres*, qui cum condimentis comparantur, usui sint. Exspectatur ‘ad omnis artis’ vel similis notio: verissimoque iudicio Lipsius ‘latet’ inquit ‘*ὑπουλον* ulcus’. Id igitur quale sit indagare alios iubemus: in perpaucis enim hoc est Militis ulceribus, quibus nos medicinam excogitare omnino nullam potuerimus.’

Iam vero in reliquis ne iusto longior fiat praefatio brevissimus ero. Ac primum quidem discriptionem versuum qualem *B* exhibeat accurate in adnotatione me commemorasse moneo: eam autem quae est in *CDFZ* abiecisse. — Nomina personarum partim recte tradita sunt, ut *Arctrogi*, *Palaestrionis*, *Philocomasii*, *Milphidippae*, *Acroteleutii*, *Carionis*, partim ab aliis iam correcta sunt. *Periplecomenum* senem vocari primus vedit Ritschelius Proleg. Trin. p. 88, quamquam *Periplectomenus* in libris esse solet; cf. Koenigius de nom. propr. p. 13. Quas Bergkius excogitavit formas *Periphlegomenus* (Opusc. I p. 208) vel *Peripetomenus* (ibid. p. 5) editores merito reiecerunt. Non minus certum est *Pleusiclem* adulescentem appellari, non *Pleusidem*, quam formam aliquo-

b\*